



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-587564-p0001-9

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-587564-p0002-5

DFG

DISPUTATIO  
IVRIDICA.  
DE PACTIS

Qua M

D. O. M. A.

PERMITTENTE SPECTABILI

Facultatis Iuridicæ Decano.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi atq; Consultissimi Viri

DN. IOHANNIS CHRI-  
STOPHORI MEVRERI, I. V. D.

fautoris sui æternum  
colendi.

Pro ingenij sui modulo publicè defendendane  
suscipiet,

ZACHARIAS Pick Budissinus.

Mense septemb. ad diem horis consuetis.

In auditorio ICtorum.



ARGENTORATI,

Excedebat PAULUS LEDERTZ.

Anno M. DC. XXI.

286

36

16214

MAGNIFICIS, NOBILIS-  
SIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTIS-  
SIMISQUE VIRIS, DOMINIS COSS.  
& Senatoribus Regiae Metropoleos.  
Budissinæ Consultissimis.

Dn. Iohanni Fabro I. V. D. p. t. Regenti Consuli.  
Dn. M. Petro Henrico Consularibus.  
Dn. Iohanni Körtschmidt  
Dn. Ambrosio Hadamero I. V. D. Reip. Syndico.  
Dn. M. Bartholomæo Hettischio Prætori.  
Dn. Antonio Rosenhahn Camerario & albivexilli capitaneo.  
Dn. Georgio May Camerario.  
Dn. Gregorio Mättigio Phil. & Medic. Doctori Experientissimo.  
Dn. Matthæo Franci.  
Dn. Bernhardo Heidenreich.  
Dn. Casparo Picken Camerario & cœrulei vexilli Capitaneo.  
Dn. Hieronymo Ruprecht. flavi vexilli Capitaneo.  
Dn. Melchiori Winckler.  
Dn. Nicolao Echenman.  
Dn. Casparo Hübsch. sanguinei vexilli Capitaneo.

Dominus meus, Patronus item & fautoribus, Patruo,  
agnatis, cognatis, adfinibus, omni observantia  
colendis: hanc legalem disputationem in certis-  
fimum subjectionis & gratitudinis rexumq[ue],  
debita qua pars est submissione, se suosq[ue] commen-  
dans, offert & dedicat..

ZACHARIAE Picken Iuniori.

anno MDCCXXX



## DISPUTATIO IURIDICA.

**D**e cotorum materia & amplitudine ambulatoriâ, & difficultate pulchrâ in scholis: in foro utilissimâ frequentatione se commendat. Digna itaq; in quâ operam & ingenium exerceamus.

T H E S I S . I.

**A** Tque ut à præcognitis cum nostris exordiamur. Conventionis nomen translatum & generale est inque Pacta & Contractus se dividit. l. i. §. 3. ff. h. t. adeò ut univocè tanquam de speciebus prædicari possit.

2. Origo, & æquitas pactorum est ex jure naturali. in pr. h. t. hoc est ex jure gentium. Neq; enim omnia, quæ sunt æqua, possunt aut debent legibus comprehendendi. Neque igitur jure civili imputandum quod ea, in naturali impotentiâ reliquit.

3. Pactum non à pulmarum percussione, ut Glossa ridicule in l. i. hic. & in l. i. de Cons. non à pacis actu, ut allusoriè Bald. in d. l. i. n. 4. sed à pactione dici, autor nobis est Vlp. in d. l.

I. §. 1.

4. Differt itaq; à pactione subtilitate rei & naturali derivatione, ut effectus à causâ; non usu juris vulgari l. i. & 2. h. t. juncta. l. 3. in pr. ff. de Pollicit. Differt à conventione, ut genitî à specie d. l. li. §. 3. A pollicitatione, formâ d. l. i. juncta l. 6. ff. de pollicit. A promisso, solennitate l. 7. §. 12. ff. h. t. Ab exceptione: A transactione, materiâ, seu re. l. i. ff. de transalt. A contractu, tanquam conspecies,

5. Est nudus duorum vel plurium in idem placitum consensus. l. i. §. 2. ff. h. t.

6. Pinguius dicitur concepta ab Hotomanno in l. i. hic ratione

A 2 tione

ratione satis macilentā. Caput in ea de fiderat Corn. lib. 4. conf. 25. Berengard. Fernand. in l. pacta conventa ff. de contrah. empt. definiendo definiri posse negat. Ego, vel Cujacio meo vindice, perfectam dico contra præfatos Dd. & convertibilem, pace Forster. de pact. c. 3. ajo, cum per ea, quæ optimæ habet. Ampl. Dn. Mejer. coll. Argent. hic §. 3. & seqq. Dn. Arum. i. disp. Pand. 3. in pr. ad l. 1. h. t. tum propriis rationibus.

7. Ratione causa, quædam pacta sunt jurisgentium, quædam legitima, seu juris civilis, l. 5. ff. h. t.

8. Jurisgentium sunt, in quibus jus illud origine & virtute prædominatur.

9. Legitima, quæ quidem origine sunt jurisg. ast non virtute: hoc est lege aliquâ confirmata. l. 2. ff. h. t.

10. Legitimi pacti exempla pauca sunt. Duo nobis ostendit Cujac. in l. 6. b. t. De membro rupto eius mentio sit in §. pœna inst. de injur. Paul. 5. sent. tit. 4. §. injuriarum: & lite paetâ ex eodem capite. Hotom. & Borcholdt. itidem duo: Alterum de furto jam commisso. ex l. 7. §. 14. vers. nam & ff. h. t. l. 17. §. 1. eod. Agnoscit quoque Cujac. 10. obs. II. Alterum de injuriis, de quo ind. l. 17. §. 1. l. 16. §. 1. ff. de injur. Quintum adjicit Forsterus de pact. c. 6. sanguino lentum illud de secundo debitore, abrogatum l. 12. ff. de O. & A.

11. His recte annumerantur, quæ post Prætorum Edictis sunt roborata: Constitutum l. 1. & t. t. ff. de Const. pec. Hypotheca l. 1. ff. de pign. act. l. 17. §. 2. ff. h. t. §. item Seriana inst. de act. Et constitutionibus Principum. Pactum dœtis. l. ad exactiōnem 6. C. de prom. dot. l. ult. C. ad Vellejan. donationis. l. 35. §. fin. C. de donat. de usuris dandis argentario. Nov. 136. de usuris fungibilium l. 12. C. de usur. & alia, de quibus non liquet certò, ex qua juris parte constent. l. 30. ff. de usur. l. 5. §. 1. ff. de uaut. fœn. l. 7. eod.

12. Ad pacta legitima referunt plerique contractus civiles Forster. c. 4. omnino malè. Omnia namque pacta legitima sunt nativa. At verò contractus civiles quicunq; sunt, ij dativi, ut loquar cum nostris, sunt omnes.

13. Utrumq; & legitimū, & jurisgentium pactum est nudum,

dum quod nulla causa subsit l.7. §4. in fin ff. h.t. quod non habens  
negotium, seu synallagma, hoc est, dationem vel factum l.15. ff.  
de præser. idque perpetuus horum character est, quo distingui-  
tur a contractibus.

288

14. Ratione formæ dividunt pacta in nuda & vestita: eamq;  
quia in animis omnium sic radicata est, ut si (exclamante Icto  
Paulo castrensi) Paulus ictus a mortuis resurgeret, non posset  
enellere, doctrinæ causatoleramus.

15. Contractus consensuales non sunt nuda pacta. l.7. §. 1.  
ff. h. t. l. 15. ff. de prescript. verb. quia non sunt nudus, & ab  
omni synallagmate abtractus consensus, sed, qui negotium &  
commerciū in se habent.

16. Neque pacta legitima ob id, quod nomen habent  
elegans, erunt non nuda.

17. Ratione formæ conventionalis, alia pura sunt, alia sub  
conditione: utraq; rursus vel ex die, vel in diem l. 27. §.  
1. ff. h. t. ~~autem hi~~

18. Ratione materiae seu objecti, alias sunt super re litigiosâ &  
incertâ: aliæ super re planâ & non litigiosâ. Illa dicuntur pro-  
priō nomine Transactiones, l.1. ff. & C. de Transact. Hæc no-  
stri sunt instituti.

19. Ratione finis seu objecti, hæc rursus sunt vel in rem, vel  
in personam: in rem est in determinatè & impersonaliter  
concepta pactio. In personâ est, quod certæ personæ determina-  
tione vel contemplatione factum est. l.7. §. ff. h. t. Illa omnibus  
prosunt, vel obsunt, quibus, ut prosint, pacientis interest l.21. §.  
fin ff. h. t. id tamē non quoquo modo, sed principaliter. Unde  
pactū rei quidē principalis fidejussori prodest l. 21. §. fin ff. h. t. l.26.  
eod. at verò pactum fidejussoris, nec in rem quidem, prodest reo  
aut confidejussori l.23. ff. h. t. doli exceptio prodest l.25. §. 1. ff. h. t. &  
seq. Personalia verò personâ pacientis non egrediuntur, & ideo  
ne quidem ad heredem transeunt. l.25. 61. ff. h. s. cumque ipsâ per-  
sonâ extinguitur. l.1. §. pen. ff. de aq. quotid. & astiv. facilius tamen  
pacti personalis exceptio in successorē singularē transit l.17. §. 5.  
ff. h. t.

20. Sunt & mixta pacta, quæ simplicibus insunt, ex una  
par-

parte in personam ex alterā in rem. l. 57. ff. b. t. l. 20. ff.  
de lib. leg.

21. An verò in rem sint vel in personam vel mixta, quæstio  
plerumq; facti est, quæ deciditur non tam ex conceptione ver-  
borum, quam mente paciscentium. l. 7. §. 8. ff. b. t. l. sicut debitor ff.  
Quib. mod. pig. vel. hypoth. solo. In dubio tamen pactum esse rea-  
le præsumitur. l. 9. ff. de probat. l. veteris C. de contrah. stip.

22. Ratione effectus, pacta alia sunt obligatoria, alia libe-  
ratoria: l. 7. §. 4. ff. b. t. l. 21. C. eod. seu alia de petendo, alia de non  
l. 40. §. 2. ff. b. t. Hæc vel fiunt donandi animo, vel aliquo rece-  
pto. l. 28. §. petendoff. h. t. l. 52. §. 19. ff. de furt.

23. Ratione subjecti, alia sunt publica, alia privata. l. 5. ff. h.  
t. dicuntur enim eo modo, quo jus aliud publicum & aliud pri-  
vatum.

24. Ratione adjuncti alia tacita, alia expressa. Tacita fini-  
untur, quæ ex conjectura voluntatis ab homine præter verba,  
vel juris intellectu à lege, vel ex re ipsa, vel extra id, quod actum  
est, præsumuntur. arg. l. 40. §. fin. ff. b. t. Taciti pacti exempla sunt  
de pignore redito in l. 7. C. de remiss. pig. de redditione chiro-  
graphi l. 2. ff. b. t. de illatis in locationem urbanam. l. 4. ff. b. t. de do-  
te d. l. 4. de obligatione sortis d. l. 4. in fin. de præceptione usura-  
rum l. 57. in pr. ff. b. t.

25. Ex Accidenti pacta alia sunt simplicia, & absoluta : alia  
conexa sive subjuncta. Hæc rursus sunt vel de substantiâ a con-  
tract° cui subjunguntur vel de adminiculis: utrūq; deniq; vel ad-  
iiciens, vel detrahens. l. 27. de contrah. empt. Atque huc redit  
quod alia faciunt deformantia, quædam informantia, quædam  
reformantia, quædam transformantia, quædam resolutiva. Si  
rem spectes, ritè omnia: si verba, cerebrina sunt.

26. Modi pacisciendi sunt totidem, quot conventionis. Vel  
enim coram paciscimur, vel absentes. Utrinq; vel re, vel verbis  
vel per epistolam. l. 2. ff. h. t. ijsque omnibus vel tacite, vel ex-  
pressè.

27. Pacisci est de genere permisorū, & libertatis naturalis:  
atque adeò pacisci omnes possunt, qui non naturâ vel jure pro-  
hibentur.

28. Naturā prohibentur, qui consentire nequeunt l. i. 9. 2.  
 ff. de pact. idq; vel ob ætatis, vel animi defectum, veluti infantes  
 §. pupillus 9. inst. de inut. stip. l. 12. C. ad L. Cornel. de sicar. furiosus  
 i. furiosus 40 ff. de R. I. l. 40 ff. de O. & A. mente captus arg. §. sed &  
 mente captis inst. dc currat. Ebrius §. sane 15. q. i. Pupillus sine tu-  
 tore l. 6. §. ffn. ff. de V. O. l. 5. ff. de R. I. 59. ff. de O. & A. distinctio atu-  
 tis & rei, de qua contrahitur, non videtur adeò Minor l. 101. ff. de V.  
 O. C. l. 3. de int. int. rest. Habitamen sine distinctione acerrimus Dd.  
 conflictus in concordiam redigi nequit. Prodigi l. 40 ff. de R. l. 16.  
 ff. de V. O. Servi sibi inutiliter paciscuntur l. 21. 5. ff. h. t. itaq; has per-  
 sonas ne naturaliter quidē obligari manifestum & propediem,  
 si et rei in tanta interpretum hæcten<sup>o</sup> fluctuantū varietate, con-  
 quiescere possit ubi animus veritatis amans accuratissimè elabo-  
 ratum dabit meus Dn. Riener. Tract. suo generali de contract.

29. Extra has rectè paciscuntur aliæ personæ, etiam mutus  
 & surdus l. 4. §. 1. ff. h. t. l. 124. in pr. ff. de R. I. Pupillus auctoritate  
 tutoris. l. i. §. 13. ff. d. O. & A. filius. l. 18. §. 1. ff. h. t. minor curatorem  
 non habens. l. 101. ff. de V. O. t. t. ff. de Minor.

30. Extraneus tamen per se ad paciscendum habilis, alteri  
 pacisci non potest. l. 17. §. si pactus ff. h. t. nisi sit procurator. l. 12. ff.  
 h. t. l. 10. ff. eod. Magister societatis communis. l. 16. h. t. tutorē  
 pupillari l. 15. ff. eod. Rei quoq; principalis pactum fide jussori  
 prodest. l. 21. §. fin. cum. seqq. ff. h. t. ubi generatim tenenda regu-  
 la: Cui non potest solvi, is nec alteri pacisci potest. l. 28. in pr. ff. h. t.  
 non contra affirmativè l. 27. in pr. ff. h. t. filius. f. patri rectè paci-  
 citur, non contra pater filio. l. 19. 20. & seqq. ff. h. t.

31. Sed & contrā: qui alias per se, ad sibi paciscendum inha-  
 bilis est, alteri quandoq; rectè paciscitur ratione potestatis: ut  
 servus domino. l. 17. §. fin. & l. fin. ff. h. t. Servus hæreditaris here-  
 ditati, non heredi futuro. l. 27. §. ult. ff. h. t. Ceterum cui pactum  
 proposit vel ob sit, ea quia tractatum desiderant, petenda sunt ex:  
 Colleg. Argent. Sic<sup>o</sup> 104.

32. Nunc ad res. Generaliter quæ non ad publicam, sed ad  
 rem familiarem respiciunt, de ijs paciscilicet. l. 7. §. 15. t. h. t. etiam  
 de

de incorporealibus l.3. ff. de usufr. l.3. ff. de servitut. & futuris. l.46.  
ff. h. t. l. i. C. eod. l. 21. §. 4. ff. h. t. Unde jus privatum, licet publico ju-  
re delatum, pacto remitti potest: Falcidiæ detractio. l. 40. ff. ad L.  
Falcid. Novi operis nuntiatio, ne fiat in privato. l. 7. §. 14. ff. h. t.  
Pactum filiae de dote valet. l. 21. §. 3. ff. h. t. filij, de legato sub condi-  
tione d. l. 21. §. 4. pacta circa prestationes in contractibus l. 43. ff.  
h. t. & quibus quid formæ suæ restituitur l. 27. §. 2. v. quod etiam  
in specieff. h. t. pactum quod major pars cœditorum cum herede,  
ne tenantur ultra vires hereditarias. l. 7. §. 17. ff. h. t. id namq; cœ-  
teris licet non consentientibus etiā nocet. d. l. 7. §. fin. Major v. pars  
estimatur ex numero personarum, cumulo debiti, dignitate &  
humanitate, elegans est text. in l. 8. ff. h. t. etiam absentibus & pri-  
vilegiatis nocet. l. 9. §. 1. ff. h. t. non hypothecarijs d. l. 9. l. 85. §. 1. ff.  
Mandat. l. 9. ff. qui pot. in pign.

33. Pacisci quoq; licet, ne judicati & incensarum ædium a-  
gatur l. 7. §. 13. quod de actione privatâ exl. Aquiliâ accipiendum.  
l. 1. C. 2. C. ad l. Aquil. l. 27. §. item si arbustum ff. eod. de actione furti,  
injuriarum, depositi, jam natâ valet pactum remissorium instar  
donationis l. 27. §. 4. h. t. l. 1. ff. de his qui not. inf. & generaliter de  
crimine sanguinis pœnam ingerente pacisci, licet. l. 18. C. de tran-  
fact. l. 1. ff. de bon. eorum qui ant. sen. item de hereditate viventis &  
approbantis l. fin. C. h. t. valet deniq; pactum reciprocum de  
succedendo inter milites. l. 19. C. eod.

34. Contra à: pacta quæ sunt contra juris civilis regulas l.  
28. ff. h. t. contra utilitatem publicam, quæ Prætoris vel Imperi-  
um vel autoritatem minuunt l. 1. §. potest. ff. de oper. nov. nunt. quæ  
sunt contra bonos mores inita. l. fin. C. h. t. contra libertatem l. 61.  
ff. h. t. vel substantiam actus l. 35. ff. profoc. l. 7. ff. h. t. de quib. ele-  
ganter. Magn. Dn. Bitsh. disp. de Paet. 9. 173. omnimodo irrita & in-  
justa, ipso jure non valent.

35. Talia sunt: ne creditor tributa pendat l. 42. ff. de paet. ut  
heres socius sit. l. nemoff. profoc. ut precarium in certum tempus  
detur l. 12. ff. de precar. pactum quo libertas testandi adimitur. l.  
15. C. de paet. aut matrimonii l. 2. C. de inut. stip. l. 134. ff. de V.O. aut  
commercij & artificij. l. 1. C. de Monopol. Unde improbabilis est  
vel consuetudo, vel conventio artificum, & mechanicorum:  
pas

das ein ander nicht verfertige/ was einer hat angefangen. vel quibus effectus & usus proprietatis impeditur. l. 61. ff. h. t. l. 15. ff. de servitut. quo dotis causa sit deterior l. 17. ff. de pact. dotal. ne fiat operis novi nuntiatio in publico l. 7. §. 14. ff. h. t. l. 1. §. nuntiatio ff. de Nov. op. nunt. pactum privatorum de rebus publicis. l. 27. §. pacta ff. h. t. l. stipulatio ista ff. de V. O. de rebusturpibus l. 18. C. de transact. l. 11. C. ad L. in l. de Adult. ne dolus præstetur. l. 27. §. 3. ff. h. t. l. 7. §. 13. ff. ead. de futura successione l. 5. l. 19. l. 30. C. h. t. de hæreditate danda l. epistolas in pr. ff. h. t. viri & uxoris de donando. l. illud convenire ff. de pact. dotal. de quotâ litis l. 53. ff. h. t. de repudianda agnatione l. 34. ff. h. t.

290.

36. Talia quoque esse non dubitamus, pacta, de libero homine sequestrando arg. l. §. 5. & 6. ff. Quarum rerum act. non det. de alimentis relictis. l. 1. §. 6. ff. de alim. leg. de non vendendo pignore l. 4. ff. de pign. act. de proroganda seu tribuenda jurisdictione l. 18. ff. de jurisd. l. 1. ff. de indic.

37. At vero pactum *avt̄iχενσεως* l. 11. §. 1. ff. de pign. & hypoth. l. 33. ff. de pignor. act. & de collatâ in arbitrium emptoris retrovenditione, jure valere, & consuetudine servari posse putamus.

38. Forma pacti consistit in nuditate & simplicitate consensus l. 31. §. 38. ff. de edit. Edict. atque hinc dicitur toties nuda pactio l. 7. §. 4. ff. h. t. nuda conventio. l. 15. ff. de præscr. verb. nuda voluntas. l. 3. ff. de resc. vend.

39. Finis pacti est, obligatio vel liberatio.

40. Effectus pacti est, quod obligatorium pariat obligacionem, civilem quidem ex cohærentiâ contractus, non modo bona fidei l. 7. §. quinimo D. h. t. l. 13. C. eod. sed etiam stricti juris l. 29. D. h. t. Dn. præcept. Arum. disp. Pand. 3. θ. 9. Naturalem vero per se sine ullâ legis assistentiâ. l. 13. C. de pact. etiam tacitum l. 3. D. de reb. cred. quæ quidem efficax non est ad actionem, etiamsi pactum sit indiciale l. 28. C. de transact. l. 18. D. de cond. indeb. etiamsi geminatum, etiamsi juratum, ne quidem jure Canonico. arg. ea finem litib. extr. de contumac. c. fin. de for. compet. sed tamen nascitur ex eâ perpetua exceptio, retentio. l. naturales D. de O. & A. soluti condicō, l. si dominus D. de cond. ind. Accessorij seu minus principales effectus

B                    sunt:

sunt: Constitutum. l. i. §. fin. D. de const. pec. Fidejussor l. fidejussor. §.  
4. D. de fidejuss. pignus l. 5. D. de pign. Novatio l. i. D. de Novat.

41. Liberatorij pacti effectus est, quod tollat, vel elidat actionem. Tollit quidem ipso jure obligationem naturalem. l. 95. §. naturalis D. de solut. l. ult. D. de jurej. & civilem l. 58. l. 7. §. 6. D. h.t. l.  
40. D. de reb. cred. §. 9. Inst. Mandat. Elidit verò ope exceptionis. l. 7.  
§. 4. l. 17. §. 2. & pañim h.t. in tantum, ut licet tempore obligatio  
nō finiri: l. 44. D. de O. & A. Tamē pacti exceptione post tēpus infirmari possit actio. l. 52. D. h.t. Is quoque pacti liberatorij singula-  
ris effectus est, quod impedit commissionem moræ. l. 14. D. h.t. l.  
40. D. de reb. cred. Ejus tamen efficaciæ pactum non est, quod clausula, seu pactio doli subjecta ex contractu stricti juris possit  
efficere bonæ f. arg. l. 7. §. 16. D. h. t. quamvis effectu quodam non  
destituatur.

42. Pactum facti est, & ideò probari debet. l. 17. C. h. t. Obscu-  
ri autem pacti interpretatio ita facienda, ut ei obsit, qui obscurè  
legem dixit contractui. l. 21. D. de contrah. empt. l. 39. D. h. t. l. 13. D.  
qui pot. in pign. ibi non conceptio verborum, sed mens & animus  
spectatur. l. 7. §. pactum D. h. t. & ideò pactum potest videri ex con-  
ceptu verborum in personam, quod tamen ex conjecturâ pietatis,  
& mente præsumpta patitur interpretationem generalem, e-  
legans est text. in l. 40. §. 3. D. h. t. etiamsi verba repugnant l. 67. §.  
ult. D. de leg. 2. l. 21. §. 1. D. de lib. & posth. Et contrà licet pacti natura  
& clausula videatur generalis, tamen ad rei naturam, de qua agi-  
tur, restringitur. l. 23. §. 1. l. 47. §. 1. D. h. t. l. 9. §. 1. D. de transact. l. 31. C.  
etod. l. ult. §. idem quæsum est D. de cond. ind. non ad id etiam porri-  
gitur de quo pacti tempore cogitatum non est, notab. text. in l. 35.  
D. de pact.

43. Affinis pacto est stipulatio, præsertim si illud fiat inter-  
rogatione & responsione; differunt tamen semper animo & con-  
clusione tractatus. l. 7. §. 12. D. h. t. l. 1. D. de const. pec. in dubio verò  
ex verbis solennibus præsumitur stipulatio. Cujac. ad d. l. 7. item  
cognitionem habet magnam cum contractibus consensuali-  
bus, mandato l. 7. §. 18. vers. idem et si extraneus D. h. t. venditione d. l.  
7. Pollicitatione. l. 1. D. de pollicit. Exceptioni verò pacti non mo-  
dò similis, sed & subsidiaria est exceptio doli, l. 10. §. ult. D. h. t. l. 7. §.  
18. v.

18. v. sed an. D. eod. sed & vicaria. l. 2. §. item quarit. D. de dol. Except.  
l. 18. §. Titia D. de mort. causa donat. l. 16. D. h. t.

44. Contraria pacto sunt, quæcunque consensui contraria:  
Pactum tollit itaque contrarium pactum. Pactionem verò im-  
pedit, quæ consensui contraria sunt: dolus, error, metus. l. 7. §. 7.

& 9. D. h. t. jocus l. 3. §. ult. D. de O. & A. Atque hæc sun-  
to de pactis: cætera occasione di-  
scursus.

291.

U N I D E O G L O R I A.



B 2

AD

A D

Præstantissimum Doctissimumq;  
q;

Dn. Z A C H A R I A M B I C C I V M  
de Pactis disputantem,

I.

Inlyta BICCIADUM transcendit fama Sudetes,  
Regia Lusatia quæ Budisina jacet;  
Herciniam dudum superavit nomine silvam,  
Quod jacet Argyrope, splendida gemma, loco  
Quid mirum, BICCI, si te veniente resurgit,  
Qui fuerat parvo tempore tectus, honor?  
Perge tuos Patruosq; sequi, Patremq; celebrem,  
Sic Patriæ fies gloria prima tua.

M. Casparus Brülovius, Pomer. P.L.C.  
Poët, in Argent. Acad. Profess.

II.

Am fera divisum sævit Bellona per orbem,  
Subque Arcto tristis sanguine terra madet.  
Nuda quid, ô BICCI, tibi quælo pacta canuntur In l. iuri gentium  
Almæ quæ PACIS nomina sancta gerunt? §. sed cū nulli D.  
Nimirum Martis patria est exempta furore eod. Vlp. l. 2. D.  
Hinc PACIS memor es, justaq; pacta canis, de pact. In l.  
juri sg. §, ait prat.

F.

Erhardus Schad Vlmensis.

Note



## III.

**N**on facilis res est de PACTIS scribere, dicunt.

Non pauci, quēis sunt cognita jura viri.

Nil ita difficile est, series immensa laborum.

Vincere quod nequeat, Comicus autor ait.

Hac quia sat nosti, BICCI, Dulcissime Amice,

Vteris ingenij viribus ipse rui.

Non veluti canis è Nilo, verūm pede pleno

Materiam attingis non sine laude gravem.

Hinc labor ille tuus, studij solertia, vero

Factum transactum dicier ore. potest.

Tης φιλαδελφίας ἔρενεν.

app.

M. Andreas Wittverus, Zita-  
ta-Lusatus, SS.Th, Stud.

## IV.

**Q**uod bene de PACTIS Civili ex Jure, polite-

BICCI, sub claro Præside verba facis:

Gratulor, & FACTIS ut cedant prospera quæque

Hic et tuis, latus compreco ripse tibi.

Perge age, sic ACTIS veniet laus undique digna,

Dum TUA PACTA bonis & BONA FACTA placent.

Gratulabundus

app.

Jacobus Bartischius Lauba-  
Lusatus.

## V.

**D**um satagi recte PACTORUM Syrmata, BICCI

Amice, nunc cognoscere.

B. 33



**J**USTITIA en Fasces ponit, tibi datque securim,  
Quā destruas obstantia:  
**P**raeside MEURERO, praelatos perge labores  
Vrgere, muros destruens  
**Q**uos INIUSTIA, ex Pactorum inimica bonorum  
Construxit INFIDELITAS.  
**S**ic tibi sancta DICE, Parnassi in sedelocato,  
Lauru caput cingetuum.

*Amicitiae causa*

*F.*

Johann Cretschmar Bres-  
lensis.

---

V I.

**G**loriam habet nullam terræ qui obscurus adhæret,  
Ergo pedem ulterius figere quemq; decet.  
Hinc tu ritè facis, BICCI, dum pulpitascandis,  
Et tractare doces publica pacta benè.  
Gratulor ergo tibi: & fusos ex tempore versus  
Exiguos, nostri pignus amoris habe.

*Amicitiae contestandæ causâ gratula-  
bundus apponebat  
Wenceslaus Starck Bicina-  
Silesius.*

---

V II.

**A**straam ad cœlos terris migrasse relictis,  
Nos quamvis Vatum fabula prisca docet.  
**I**lla tamen pullos hâc mundi sede reliquit,  
Qui docti nobis tradere jura sciunt,  
Biccus hic etenim multâ praelustris ab arte  
Iustitia surgit, splendida stella solo:  
En certè joboles juris jurata resurgit,  
Hæc quæ: doctrinâ Biccus ille manet,

Ergo

Ergo tibi semper Rodessi Musa precatur  
Voto; Succedant prospera quaq; diu.

Benevolentia causa

F.

David Rodossius Zitt  
Lusatius.

VIII.

**A** Vo præsentि, quo nulla remansit in orbe,  
Sed petij cœli splendida tecta, FIDES;  
De PACTIS titulum tractas, charissime FRATER,  
Quodq; humana fides postulet ipsa, doces, *Ex lin pr. ff.*  
Quæ sunt pacta homines strictè servare: Quis ergo de pactis.  
Non tua, MEURERO sub Duce, cœpta probet?

Gregorius Biccius, Budissinus Lusatius,  
Philos. & LL. Studios.

IX.

**B** Ibla sancta docent, quod terq; quaterq; beatus  
Qui servare fidem & Splendida pacta studet,  
A cunctis eadem civilia jura requirunt:  
Ergo de Pactis dum pia verba facis,  
Fortiter armatus BICCII concende cathedram,  
Sic Duce MEURERO digna brabeja feres.

*Amoris Ergo & amicitiae testandæ gratia*  
F.

Joannes Stroheckerus Argentoratenfis.

FINIS.

III

admodum invenit opus suum  
propter hoc quod non potest  
invenire aliam rationem nisi  
quod sit invenimus. Quod  
autem est invenimus. Et hoc  
est invenimus quod non potest  
invenire aliam rationem nisi  
quod sit invenimus.

**B** ipsius invenimus quod non potest  
invenire aliam rationem nisi  
quod sit invenimus.

invenimus. Et hoc

invenimus. Nam invenimus.

EINI



Straßburg, Diss., 1613-II



1017



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-587564-p0020-5

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color
Magenta		
Red		
Yellow		
Green		
Cyan		
Blue		

